



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Hvmanae Salvts Monvmenta**

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiae, [1571?]**

Christophorvs Plantinvs Lectori S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

CHRISTOPHORVS PLANTINVS  
LECTORI S.



V M omnes cogitationes, studium, operam, atq. adeo quidquid in nobis est, cādide Lector, ad Typographiam, quæ ceteras artes sua præstantia illustrat, iamdiu contulerimus, nihil nobis charius certè, aut antiquius est, quàm ut bonarum literarum, ac potissimum sacrosanctæ Theologiæ studia omni ex parte promoueamus, ac piis, iisdemque multiplici disciplinarum genere ornatis viris, cōtinuo labore, ac industria (quantulacunque ea est) pro viribus cōsulamus. Neq. verò in præbenda studiosis hominibus materia, & copiosa gratissimorū studiorū supellectile, adeò toti sumus, quin nonnulla etiam oblectamenta grauibus intermixta studiis, lectoribus subinde proponamus. Hoc enim inter cetera nobis semper fuit propositum, vt seriis studiis, & continuis laboribus defatigatos, iucunda aliqua, neque ea tamen inani occupatione interdum detineremus. hoc itaque consilio adducti præstātissimos ac probatissimos quosq. Poetas, tum veteres, tum recentiores: nonnulla

A 2 etiam

etiam alia, in omni ferè artium ( quarum pro-  
fessoribus nos satis esse facturos existimavi-  
mus ) ac scientiarum genere opuscula , typis,  
quoad fieri potuit , elegantibus , excudimus.  
Cùm verò inter ceteras artes , quas diuina  
munificètia hominibus elargita est, pictura ea  
sit, quæ tum vtilitatis, tum delectationis non  
infimas partes suo iure quodãmodo sibi ven-  
dicet , quippe quæ res omnes, quæ quidem in  
hac rerum vniuersitate conspiciuntur, ita re-  
præsented, atque ita oculos teneat, vt ea tan-  
quam viuæ rerum imagines imperitos etiam  
ipso res gestas luculenter edoceant, ipsumque  
animum moueant, atq. adeò aliàs lecta, qua-  
rumque memoria exciderat, sui inspectione in-  
mentem reuocent, vt hac potissimum de causa  
non paruum hac ars cū typographica nostrã  
affinitatem habere videatur: Instituti nostri  
esse existimauimus Ariæ Montani publicæ v-  
tilitatis studiosissimi, ac de bonis literis, &  
disciplinis optimè meriti, Architecturæ etiam  
peritissimi ( cui enim nisi ingeniosissimo huic  
viro, tabularum, quas in hoc opere artificiosè  
cælatas conspicias, admirabilem structurã ac-  
ceptam referamus? ) fœcundissimũ, & quo-  
uis

uis doctrinae genere refertissimū opus, id est,  
unam & septuaginta odas, quibus ille felici  
quadam ingenij dexteritate, carminis elegan-  
tia, & gravitate maximum, & admirabile  
omnino salutis nostrae mysterium iam inde ab  
ipso primi parentis lapsu ad Evangelistas vs-  
que profecutus est, adhibitis ad eam rem ex-  
ercitatissimis pictoribus, & tabellarū, qui-  
bus sacrae historiae aptissimè representantur,  
calatoribus, summis laboribus, ac sumptibus,  
quibus profectò, hac potissimū in parte, vt  
videre est, non pepercimus, qua potuimus in-  
dustria, typis nostris excudere: idq. ita elabo-  
ratum & omnibus suis partibus absolutum  
tibi tandem exhibere. Qua quidem in re si  
nostros labores tibi gratos esse comperiemus;  
longè maiora, Deo dante, tum ab ipso Auēto-  
re, tum etiam à nobis posthac in communem  
studiosorum vtilitatem, cui nos totos nostra-  
que omnia dedicauimus, continuo prodibūt.  
Vale, & nostrum hunc laborem aequi consule.  
Antuerpiae Calend. Maij, Anno à Virginis  
partu, M. D. LXXI.

CHRI-